DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
EMETICIS:
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GRAHAM STUART,

Edinburgenus.

CHIRURGUS:

"In multis morbis, vomitus praestantissimum remedium."
GREGORY.

"Neque omnia, neque nihil."

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXVIII.

VIRO PERILLUSTRI

GULIELMO GARROW, Equiti,

S. D. N. Regis,

EXPLETIS SUMMI CAUSIDICI HONORIBUS,

SCACCARII BARONI,

JUDICI INTEGERRIMO,

INGENIO PRAEPOLLENTI, SIMUL AC VIRTUTIBUS ORNATO,

IN DOMUM SUAM PATERNAM

ANIMI SPECTATISSIMI

NOTO,

OPUSCULUM HOC INAUGURALE,

PEREXIGUUM OBSERVANTIAE MAXIMAE TESTIMONIUM,

DEDICATUM ESSE VULT

JOANNES GRAHAM STUART.

VIRO EXIMIO

ALEXANDRO JARDINE DE APPLEGIRTH,

EQUITI BARONETTO;

INGENIO, SCIENTIA, STUDIISQUE HUMANIORIBUS,

AEQUE AC

GENERIS ANTIQUITATE INSIGNI,

COMITATE, MODESTIA, MORUMQUE SUAVITATE.

AMICIS COGNATISQUE

DILECTO,

TENTAMEN HOCCE INAUGURALE,

QUANTULUMCUNQUE SIT ET PARUM DIGNUM,

SUMMO ANIMI SINCERI OBSEQUIO,

DICATUM GRATEQUE ACCEPTUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

NEC NON

AMICO AESTIMABILI

JOANNI WALKER, Armigero,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIS

SOCIO,

A QUO PERITISSIMO, PER QUINQUENNIUM

ARTIS MEDICAE RUDIMENTA,

SICUT EX TENERIS ANNIS

BENEFICIA PLURIMA NUNQUAM OBLIVISCENDA

ACCEPIT;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

AMICITIAE FIRMISSIMAE

PIGNUS, PARVULUM SED SINCERUM

ANIMO GRATO OFFERT

ALUMNUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

EMETICIS.

COMPLECTENS.

Hoc remediorum genus diu lateque laudatum, apud medicos nunc rarius quam olim in usum venit. Emetica autem, rite administrata, remedia sunt adeo salutaria ut nunquam negligi possint. Naturâ ipsâ indicantur: Sublevant molestissima morborum signa: interdum omisso tali auxilio vix curatio impetranda sit.

Hoc in tentamine pauca de USITATIORUM ADMINISTRATIONE AC USU in animo est proferre.

HORUM, jam per annos centum et amplius, certe princeps fuit RADIX IPECACUANHAE Medicamentum hoc tutum simul et efficax, saepius in pulverem tenuissimum tritum, interdum autem vino infusum administrari solet. Pulverem ob radicis duritiem praeparare difficile est, et nisi qui terunt praecaveant ne pars levissima circumvolet, nausea et vomitus inferantur; immo etiam nares, fauces, oculosque inflammasse dicitur. Inter terendum igitur, ut haec effugiantur, alcohole humectanda est radix; deinde cribro operto uti oportet, cujus operculum non dimoveri debet, donec, agitatione peractâ, tempus, ut pulvis quiescat, datur. Propter magnum hujus pulveris pretium, alia nullum aut vix ullum verae radicis habentia, et vim vomitoriam a Tartaro Emetico commisto, haurientia, haud infrequenter

veneunt ; et fraus hujusmodi, infeliciter, donec juvenes aut infirmos laeserit, vix detegi potest.

Quod spectat ad pulveris Ipecacuanhae *dosim*, simul ac ad illam aliorum medicaminum, pro re nata varianda est. Interdum sex enim aut octo granis, nonnunquam sexaginta aut octaginta opus erit. Notandum est nimis parvam copiam, veluti sex aut octo granorum, plerumque nullum commodi habere, quia si responderit non mitiores sunt effectus quam si major esset. Quantitas autem sexaginta aut octoginta granorum vix uno tempore unquam exhibetur, quia si non injuriosum sit copiam tam magnam dare, saltem inutile foret. Ad dosim igitur, Ipecacuanhae grana viginti, aut viginti quinque ex aromaticâ quâvis aquâ excipiantur, et intra horae dimidium plerumque movebitur ventriculus. Necesse est hoc spatium acceptionem inter et vomitum, ut Ipecacuanha stomachum satis afficiat, ideoque si

vel a morbi signis, vel ab aegri notitia verisimile sit ut vomitus citius incipiat, aegrum, Ipecacuanhâ devoratâ, supinum jacere oportet: hic positus fere semper perutilis est, ut, medicamento purgante adhibito, vomitus praeveniatur. Alienum erit autem ut ultra horae dimidium Ipecacuanha in ventriculo maneat, quia in alvum descendens dum medicum fallit, aegrum acerrime purgat. Ubi igitur probabile sit, ut intra horae dimidium non respondeat ventriculus, aeger haud decumbere debet; sed si id fieri queat, ambulare, vel etiam ad vertiginem inferendam rotare. At si in hoc modo tempore supradicto vomitus non-ciatur, Ipecacuanhae decem grana omni sexto vel quarto horae spatio ad tertiam vicem, nisi prius incipiat, assumenda sunt.

In hoc medicamento administrando, partim quia ingratus est ejus gustus, sed magis ut ad tempus debitum in ventriculo detineatur, aquâ aromaticâ utimur. Prout igi-

tur aliquis ad vomitum plus minùsve proclivior sit, ratio aromatum est mutanda.

Plerumque tamen sufficit, si Ipecacuanhae pulveri cum syrupi simplicis pauxillo, bene in mortario trito, aquae menthae piperitae una uncia, cum spiritus lavandulae compositi vel spiritus ammoniae aromatici guttis triginta commista; aut, si aeger, quod non raro accidit, mentham haud assumere queat, aquae cinnamomi una uncia addatur. Ipecacuanha in hac vel in quavis simili extemporanea formula, ad infirmos insigniter accommodatur; et ad alios quoque, si nullum necessitatis sit ut ab illis emetici usus celetur, vel ut nisus vehementes excitentur. Interdum tamen faciem alius intumescit, et saepius alii nauseam diuturnam sine vomitu infert; ideoque his, si emeticum necessarium sit, ad tartarum emeticum vel sulphatem zinci confugiendum est. Aliquando autem haec etiam frustra praecipiantur, et quod magis mirum est, qui haec fortia eme-

tica incassum tentarunt, nonnunquam lenissimo accepto, vel aliàs invité vomuerunt.

Nunc loquendum est breviter de utilissimo omnium, e regno minerali, emeticorum, scilicet de TARTARO EMETICO sive Tartrite Antimonii et Potassae *.

Hoc antimonii praeparatum per seculum jam in usum perstitit. Non interne unquam adhibetur, nisi in aqua aut vino solvatur. Utile erit ut, cùm medicamenta fortia, in portionibus admodum minutis, nec facile nec accurate ponderari queant, si cum quâdam re innocuâ non misceantur, Antimonii Tartritis et Potassae pars una cum quintis sacchari purissimi bene trita, in usum seponatur. Ad vomitum movendum Tartari

---

* "Tartarus Emeticus.

℞ Croci Antimonii partes tres.
Super-Tartritis potassae partes quatuor.
Aquae Distillatae partes triginta duas.

Coque in vase vitreo per horae quadrantem; per chartam, cola; et liquorem colatum sepone, ut formentur crystalli."

emetici grana sex in aquae aromaticae dilutae unciis quatuor solvantur; cujus solutionis unciae dimidium vel una uncia, sexto vel quarto quoque horae spatio, donec ventriculus responderit, est assumenda. Interdum hujus effectus mites sunt, plerumque autem nisibus validis et longis, ventriculus, intestina superiora, et forsan fellis vesicula omnino exinaniuntur. Propter has vires hoc remedium vomitorium convenit quibus corpus subito afficiendum est, aut quibus robur maxime adest. Perutile quoque erit quia gustu vix percipitur, ubi ab aegro emeticum celare opus sit; in hoc casu autem auctiore in copia adhiberetur, quia in homine nesciente, se accepisse emeticum, nausea naturaliter reprimitur, saltem non elicitur.

Cum jam de Ipecacuanha et Tartaro emetico *separatim* diximus, observare debemus, ut, in morbis tractandis ex iisdem conjunctis multum boni oriatur; namque dum

antimonii vis ex dose parva imminuitur, eadem Ipecacuanhae, ex illo commisto, augetur. Hoc consilio si grani dimidium, vel granum Tartari emetici, et Ipecacuanhae viginti conjunguntur, plerumque sufficit; interdum tamen assumpta sunt hujus drachma una cum illius sex granis, antequam vomitus induci potest.

Quando haec remedia vomitoria ad infantes necessaria sunt, fere semper ex vino exhibentur, quia in hoc modo gustui gratissima fiant. Vini Ipecacuanhae *, dosis est drachmae duae aut tres; vini antimonialis autem, quod in singulis unciis vini albi, habet Tartari emetici grana duo, dosis est drachma una aut duae, duodecimo vel sexto quoque horae spatio ad vomitum usque re-

---

* "Vinum Ipecacuanhae
℞ Radicis Ipecacuanhae contusae unciam unam
Vin. albi Hispani uncias quindecim.
Macera per dies septem, et per chartam cola."
(Pharmacopeia Edinburgensis.)

petita. Infanti tamen dum ventriculus inanis sit tartarus emeticus nequaquam dari debet, quia in tali statu, nauseam diuturnam sine vomitu, aut mortem ipsam intulisse notum est. Subinde commodum erit ut vina emetica commisceantur, in ratione vini ipecacuanhae duarum aut trium partium, cum vini antimonialis una aut duabus. Sunt infantes qui vinum non assumere possunt et quibus igitur ex quovis haustu grati saporis emetica sunt praecipienda.

Ex jam dictis facile intelligetur quomodo ipecacuanha et tartarus emeticus, separatim aut conjunctim, ad omnes fere, quibus opus sit Emeticis, accommodari possint. Sed quando vomitus est morbi signum, et eum promovere convenit, hunc ad effectum aqua tepida cum solitis stimulantibus mista, sinapi nimirum, chamamelo, carbonate ammoniae, haud infrequenter sufficit. Et ubi vomitionem statim ciere oportet, praescribuntur, quia tali vi pollent, Sulphates Zinci aut

Cupri. Hujus ad Emeticum grana duo, tria aut etiam plura in aquae unciis duabus, illius quindecim aut triginta grana solvi solent. Sulphas zinci minus noceat quam sulphas cupri, sed minus efficax est; certè hic votis respondit, posteaquam ille incassum tentatus fuit.

Ad Emeticum accipiendum aliquod temporis, si nihil obstat, inter sextam horam et octavam vespere, pro ratione duplici selegendum est. Primum quia cibo pleno non opus est ante crastinum jentaculi tempus; deinde quia vomitu finito aeger optimam nanciscetur occasionem, somni solito tempore capiendi, quod in morbis nonnullis maxime prodest. Hauriendae sunt potiones tepidae, ut, evacuatio ventriculi ex Emetico incepta, absolvatur. Illae autem ante hoc tempus non sumendae sunt, quia emeticum vel descendere facient, vel ex ventriculo cibo aliisque relictis, rejicientur. Haud parvi momenti est quo in modo

haustus accipiantur, cùm nisi in copia modoque idoneis minime proderunt. Hac de re, magna vulgi ignorantia est; quidam enim unam libram aquae tepidae nimiam esse credunt, dum alii si satis bibant, ita hauriunt, ut rem vix melius gerant. Exquirendum est igitur, Emetico praescripto, si modum quo regatur, aeger adjutoresve intellexerint. Sin minus, illis dicere nos oportet primùm, quia vomitus solet nisus excitare, elicereque sudorem copiosam, ut laxa vestimenta et calida aeger induat; tunc ut ventriculo semel respondente, bibat aquae tepidae unam libram aut libram cum semisse, cui sinapis confecti (Anglice *made mustard*) drachmae dimidium aut drachma addatur. Desistendum est autem illi, si vomendi cupido prius inducatur. Deinde ut, si elapsa decima horae parte ventriculus non responderit, hauriat iterum aquam tepidam pari modo cum sinapi mistam, ad vomitum usque, qui, quamdiu id fieri potest, digito vel pennâ in

fauces immissâ producendus est. Porro aeger post brevem quietem, in eodem modo aquae haustus repetere debet; et per horam unam alteramve invicem hauriens sistensque, pergere, prout plus minus muco viscido ventriculus laborare videtur. Tenendum autem in memoria est, aliquos esse quibus aqua tepida ne vomitum quidem producere queat, nisi aquae pro consuetis stimulantibus Ipecacuanhae grana pauca adjiciantur: ideoque ubi aegri notitia hanc idiosyncrasiam docet, illa semper utenda sunt. Quando autem talis notitia deest, monendum est aegro, ut, aquae libris quatuor aut circiter, haustis sine vomitu moto, bibere non pergat, sed fauces irritando, aut si incassum, Ipecacuanhâ utendâ, ut aquam e ventriculo exantlare conetur. His praecautis, haec methodus aquae accipiendae, non tantum tuta evadit, sed ad ventriculum liberandum optima. Si enim non tempus est, ut mucus viscidus quodammodo solvatur, et si

fauces irritando, ejusdem soluti evacuatio non producatur, ad eum amovendum sperare vanum erit. Infantibus tamen, hic modus regularis ad vomitum, emetico dato, promovendum, vix sequi potest. Ad illos autem, si siti, persuasione vel etiam vi satis aquae accipiant ad ventriculum ab ingestis liberandum, nihil magis fere opus erit, nisi in quibusdam eorum morbis, veluti pertussi, ubi interdum ventriculus si fieri potest in toto exinanire debet.

Ingratus ventriculi sensus, finitâ vomendi operatione, donec aliquid gustui jucundum assumptum sit, perstare solet: ideoque, patiente morbo, paululum carnis bovinae in craticulum tostae (Anglice *beef-steak*) vel panis tosti unà cum vino albo, aqua bulliente diluto, et dein saccharato, (*negus*) vel atherae (*panada*) dare idoneum erit.

Nunc ad Emeticorum USUM in morbis transeundum est.

De hac nostri propositi parte observare liceat, ut, cum ad remedia indicanda aspectus aegri tam multò conducit; generalia tantum hìc tradi possint. Progrediendum est a CLASSE PYREXIARUM, quia in plerisque hujus classis morbis, emetica adhibeantur: deinde producenda sunt exempla pauca, ex caeteris morborum classibus, quibus utilissima sint aut necessaria.

I. *In Febre Intermittente.*—Omnes consentiunt emetica, in hoc febrium genere, diversis in temporibus, et pro variis rationibus utilissima esse, praesertim in febre vernali et quotidiana autumni. Validum enim antimonii emeticum brevì ante accessum paroxysmi datum, non solum hujus progressum sed febrim quoque sistit; vel ex ventriculi evacuatione, vel vehementi subitaque in corpus actione, vel potius ex utrisque simul conjunctis. In statu rigoris pariter ac caloris, si nausea et vomitus inefficax urgeant, stomachus potionibus solitis vel interdum Ipecacu-

anhâ administrandâ depleri debet. Nam ita dum haec signa tollantur, paroxysmus simùl brevior fiet. In statu apyrexiae, nisi vomitus prius excitatus fuerit, ventriculus plerumque adeo laborat, ut sine emetico dato, cinchona vel alia utilia medicamina ne in eo quidem manere queant; dato autem eveniat ut haec minore in copia quam aliter necessaria erunt.

II. *In Febribus Continuis.* Vomitoria, ad has febres curandas ex tempore antiquissimo ad hoc usque, adhibita fuerunt. Tamen per aliquot annos ultimos aqua frigida, purgantia, detractio sanguinis, hydrargyrusque, plus minusve conjuncta, latius habuere imperium, et ad curationem quam plurimum profecerunt. Exempla autem non rara fuerunt, quibus ut olim Emetica multum boni contulerunt. Praecidant enim febrim sub initio, mitigant signa urgentia, postquam inveteravit, statum etiam convalescentem properant, et sola ad plenam ventriculi evacuationem va-

lent. Sunt qui nec Emetica nec ulla remediorum, ad febrim discutiendam pollere, credunt. Si autem quis, capitis dolore, pulsu frequente, siti, anxietate, cutis calore, denique solitis signis sub primis febrium diebus, affectus sit, et ab his omnibus, Emetico et Cathartico propinatis, vel post aquae frigidae affusionem, aut sanguinis missionem, omnino liberetur, quid cogitandum est nisi quod febris praecidatur. Haud tamen negandum est, pauciores esse occasiones febrim praecidendi, quia sub initio plurimorum, ita levia esse videntur signa, ut, morbi incubantis nesciens, exercitatione negotiove ad illa amovenda, speret. Atqui si ita signa non tollantur, adeo augentur, ut ad febrim praecidendam praeteriverint et spes et tempus. In aliis exemplis quoque, auxilium non petit aeger priusquam febrim, quae naturam propriam citius ostenderat, progredi passus est. Rebus ita se habentibus, signis occurrendum est; et si stomachus, nec signis ejus inflam-

mationis nec pleno vomitu existente, multò laborat, Emeticum sanè opem feret; cujus etiam effectus ad statum convalescentem perveniunt, quia tunc ad sua munera ventriculus aptior evadet. In Febribus Recidivis quoque ad id decurrendum est; quia in his ciborum concoctio iterum fit prava, et si vomitorium non adhibeatur, aeger difficile ad sanitatem redit. Hae observationes, praesertim ultimae, aeque ad Catarrhum Contagiosum referantur. Communia hujus morbi signa sunt, pyrexia, tussis, pleurodyne, faucium inflammatio, characteristica autem dolor ruborque linguae, cum maxima morbi recidivi proclivitate ex corporis exercitatione. Nam si nimis cito per tempus breve etiam surgat aeger, et magis adhuc si ambulet aut scalas ascendat, signa omnia redeunt. Vomitoria pariter sub initio hujus morbi ac febris communis prosunt; et ubi aeger in eum relapsus est, ventriculus semper muco viscido obducitur; inde cibi concoctio male se habet, pyrexia

augetur et debilitas inducitur. Ad recuperandum aegrum ex tali statu, stomachum primò evacuare oportet; deinde, aliis malis sublatis, per parvam sanguinis missionem, alvi ductum, &c. inter aliquot dies in lecto manere; denique, ubi aeger surgere incipit, subinde decumbere debet, et defatigationem omnigenam evitare, ne morbus iterum redeat.

In Febre Remittente regionis calidae, Emetica nonnunquam tentata sunt; sed plerumque progressus harum febrium pervelox, cum signis congestionis in cerebro, hepate, aut ventriculo manifestis, remedia ex iis diversa postulat: et hinc a plenâ sanguinis detractione, et hydrargyri usu faustus eventus praecipue pendet.

III. *In Morbis Exanthematicis.*—Plerique hujus ordinis, praesertim Morbilli, Scarlatina et Erysipelas ab vomitoriis in accessu adhibitis beneficium accipiant, eodem modo

ac in febribus continuis; in illis autem ad progressum sistendum vix sperare possimus.

IV. *In Phlegmasiis.*—Inter hos morbos vomitus plerumque est signum quod levari potius quam promoveri debet. Sed in paucis horum, veluti in Cynanche maligna, quae nunc pessima scarlatinae species esse creditur, haud minime juvant. Prohibet enim Emeticum ne acria ingesta in alvum descendant, et sic dum vires aegri minus exhaustae erunt, ventriculus ipse ad alias medicinas accipiendas magis valebit. Praeterea illud febrim quodammodo mitigat.

In Cynanche tonsillari quoque optimo cum exitu dari dicuntur. Fertur enim in primo morbi die vel secundo emeticum propinatum cum regimine diaphoretico sequente, paucis in horis perfectam effecisse curationem. Et ubi etiam inflammatio ita se auxit, ut aeger vix devoret, dictum est, vomitum a paulo Tartaro Emetico in posteriorem oris partem immisso, ibique sensim so-

luto, motum esse, quo guttur adeo apertum fit, ut in vomitu promovendo potiones facile hauriri queant, et dein aegrum in die una aut altera, nonnunquam sine emetico repetito, convaluisse. Porro in hoc morbo vomitoria ad abscessum rumpendum, aut pure in ventriculum descendente, ad id amovendum, interdum adhibita sunt. Haud credendum verò est ut aliquis cum morbo tam levi affectus quam hic saepe est, ad vomitorium se subjicere voluerit; sed certè si ab cynanche in acuta forma laborare solet, non alienum foret progressum sistere modo supradicto; et si deglutatio admodum impeditur, aut magnus fit abscessus, et hic scalpello non aperiri queat, talis praxis prodesse posset.

V. *In Haemorrhagiis.*—In morbis huic ordini subjectis, ut in phlegmasiis, vomitus plerumque timendus est. Ubi autem status ventriculi vel febris Emetica indicant, tutissime ad haec confugere licet, nisi major sit sanguinis fluxus. In Phthisi pulmonali, qui

in hoc morborum ordine ponitur, ex ejus nexu cum haemoptyse, fortissima emetica, sulphas nimirum zinci vel cupri, quia nauseam non inducant, et forsam pro aliis rationibus tentata sunt, sed infeliciter sine prospero exitu; quapropter in phthisi horum usus est nunc fere relictus. Hoc verò in morbo symptomata, ventriculo laborante, semper multò augentur, ideoque Ipecacuanha pro emetico data, aegrum saltem levabit, nisi ejus debilitas, morbo longius durante, non hanc etiam potest tolerare.

In Classe Neurosium morbi adeo dissimiles sunt alteri alteris, ut nullum medicaminis aut classis remediorum semper vel fere semper ad eos sint apta. Quamvis autem non in paucis eorum postulantur vomitoria, tamen de horum usu in dyspepsia, dein in pertussi tantum hìc tractare propositum est.

I. *Dyspepsia.*—Hic morbus, qui in formis tam variis se ostendit, originem ducit

ex fonte tam multiplici, et saepe aegrum per reliquum vitae cursum vexat, non semper emeticis sublevari potest. Sed ubi cruditas et copia humoris glutinosi sunt hujus causae, vel certè hunc valde adaugent, Ipecacuanha, vel per se vel cum paululo Tartari Emetici commixto, pro emetico data levamen magnum feret, et si sequantur remedia idonea ad ventriculum et corpus firmanda, omnino abeat morbus. Plerumque tamen antequam hoc perficitur, rursus emetico opus erit, si vel prior ventriculi evacuatio non plena fuit, vel quandocunque ex signis ventriculus iterum gravatus esse videtur. Sunt qui hoc remedio in Dyspepsia liberè uti nolunt, quia id, stomachum infirmare et materiam morbosam gignere, autumant. Si tamen tantùm adhibentur ubi morbus, ex ingenti muci viscidi accumulatione, remediis mitioribus obstitit, non injuriam unquam inferent, et profectò prima sunt remedia quae proderunt. Quibus subinde

Dyspepsia redit, emetica, nisi signa graviora sunt, dari non debent, et dein bonum quod efficitur rebus ad id aptissimis producendum est. Hìc observatu dignum est, ut si Cardialgia in hoc vel alio morbo multùm urgeat, magnesiam, aut quaevis antacida, ante emeticum administrare oportet, quia acidi rejectio aegro ingratissima erit, aut fortasse fauces exulceret.

Quamplurimi morbi, veluti Ophthalmia chronica, Amaurosis, Cephalalgia, Odontalgia, Icterus, Syncope, Asthma, &c. saepe cum ventriculi et alvi affectionibus arctissimo nexu conjunguntur, ita ut vix sanari possint, donec his visceribus vires primo restitutae sunt. His in morbis igitur, Emetica, ab horum in corpus ac ventriculum effectu, eodem in modo ac in Dyspepsia ipsâ, prosint. Et quamvis non sola, tamen non minima sunt auxilia.

II. *In Pertussi.*—Paroxysmus haud infrequenter, si mitis sit morbus, levamen finemque in vomitu petit; gravis autem, raro eve-

nit vomitus, et si morbus in pejus ruit, arte etiam induci vix potest. His observatis peritissimi medicorum, quotidie, in casibus gravioribus, acuto statu perstante, Tartarum Emeticum aut Ipecacuanham ad vomitum ciendum, ventriculo non per se moto, adhibere consueverunt. Amovet enim vomitio, et mucum devoratum, et materiam a ventriculo generatam; expurgat thoracem; et ad superficiem corporis derivationem efficit. Prima ejus excitatio saepius difficilis est, vel quia ventriculi sensus a muco viscido obtunditur, vel propter alias causas minus manifestas. Sed si semel excitatur, postea facilius erit nisi admodum augeatur morbus. In Pertussi non necesse est ventriculum post omnem vomitionem lavare, si id fieri potuit, sed tantum post primam, aut iterum si id organum gravatum esse videtur. Praeter vomitoria, ad hunc morbum infantibus tam lethalem, alia remedia valent, nec vero negligenda sunt.

Priusquam hoc tentamen ad finem perducamus, emeticorum usus, quando res Veneficae adsumptae sint, non in silentio praetereundus est. Praesertim, cùm in his magis quam in aliis rebus pollent, et cùm ad eos casus rite tractandos, notitia accurata omnium quae vomitum tutò inducant, admodum necessaria erit; ita ut, sedatâ aegri adstantiumque perturbatione, optima, quae in propinquo sint, selegi possint. Tempus enim, procul mittere pro magis idoneis, non erit. Ubi venenum ex metallis assumptum est, plerumque sua sponte vomitum ciet, ideoque nil restat nisi quod hunc promoveamus, donec illud omnino exinaniatur, utendo aquâ tepidâ et fluidis mucilaginosis, aquâ nimirum cum lacte mistâ, decocto avenae, mucilaginibus gummi et amyli dilutis, &c. quam primum praeparatis. Si ex vomitu durante, cum dolore et anxietate, gastritidem creditur supervenisse, remedia pro hac praecipienda sunt. Ubi venenum ex regno vegetabili devoratum

sit, opium instar omnium, ventriculus fere semper tantum torpescit, ut vomitoria validissima, scilicet sulphates cupri et zinci instanter danda sint, si obtineri queant; sin minus, Tartarum Emeticum, Ipecacuanham, pulverem Tabaci, salem communem vel alia, tentandum est. Si haec etiam desunt, vires aquae tepidae, cum faucium irritatione et vertigine conjunctae, forsan ad narcoticum expellendum valeant; dum interea omnia fieri debent ne miser somno captus sit. Observandum est, ut nihil ex ventriculo in iis casibus rejectum amitti debeat, sed pro investigatione seponi, si opus sit.

Ex jam dictis, quamvis plurimi morbi adhuc annumerari possint, in aprico est quam late utilis sit haec classis remediorum. Quibusdam enim in morbis Emetica praecipue adhiberi conspeximus, dum in aliis pro auxiliis solis. Cùm tamen adjutoribus ac aegro ingrata sunt, in omni leni occasione minus administrare oportet. Sed ex consensu ven-

triculum inter et alvum, quo alius raro diu afficitur sine alio quoque laborante, et quo in pari modo, alium restaurando, alius reficitur, purgantia in vice Emeticorum interdum adhiberi queant. Et quamvis nonnunquam, in gravioribus malis, purgantia rite exhibita satis essent, tamen, si iidem effectus induci non possint, nisi in tempore longiore, et sic cum majore aegri inquietudine, saepius praestabit ut non omittatur Emeticum.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.